

tur. Jacob. Pignatell. Tom. 9. Consult. 47. n. 9. Farinacius de Immunit. cap. 8. n. 123. in fine. & de Homicid. 9. 123. n. 77. Diana. p. 1. tr. 1. Resolut. 18. so plures alii a Pignatell. citati. Probatur ex Bulla Gregoriana, quæ sicut in aliis delictis non nisi secuto effectu privat Aÿlo, ita etiam de Assassino interpretanda venit, accedente præsertim consuetudine, quæ est optima Legum interpret. L. 37. ff. de Legib. Ratio est; quia iuxta Regulam universalem verba Legis penalis intelligi debent cum effectu, nisi aliud exprimitur in Jure. arg. can. Hæc autem verba. de Penit. dist. 1. ibi: Hæc autem verba cum effectu accipimus: ubi Glossa dicit: Voluntatem sive conatum non putari sine effectu. Accedit, quod Lex penalis fit strictè interpretanda, arg. c. Olla. de R. J. in 6.

Dices, qui intendens occidere tantum vulnerat, est verus Assassinus; arg. c. 1. de Homicid. in 6. ibi: Quamquam mors ex hoc forsan non sequatur; atqui Constitutio Gregorij XIV. quamvis Assassinij Reum indistinctè privat Immunitate, ergo indistinctè venit intelligenda, arg. l. de Pretio. ff. de Publician. in rem ad Resp. Distingueno. Est verus Assassinus in ordine ad incurrendas penas cit. c. 1. si tutas, conceditur; in ordine ad privationem Immunitatis statutum in Bulla Gregoriana negatur, ob rationes n. præced. positas. Accedit, quod obiectio nimium probaret, videlicet, quod si post factam, & acceptatam conductionem, tam conducens, quam conductus statim evaderent, & essent Assassini, c. 1. de Homicid. in 6. hoc ipso statim etiam essent privati Aÿlo, etiam conductus non adhuc tentaverit, nullumque sit aggressus. Quod est falsum, & contra ipsos Adversarios ac contra Declarationem Cardinalium apud Jacob. Pignatell. Tom. 2. Consult. 68. in una Sarzanensis 21. Februarii 1620. ibi: Antequam sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet Immunitate. Quæ Declaratio etiam servit probatione Conclusionis.

132 Illud certum est, quod gaudet Immunitate Ecclesiastica, qui mandat, & mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum vel promissum ad faciem ferro cuiusdam deformandum, aut vulnerandum; quia tales impropiè sunt Assassini. Ita enim in terminis declaravi S. Congregatio in Neapolitana. 25. Junii 1601. & tenet cum communi aliorum Pignatell. Tom. 9. Consult. 43. n. 11. Farinacius lo. cit. n. 134.

133 VI. Juxta probabiliorum, & communiorum requiritur, ut pretium aliquod certum, ac specificum, seu determinatum in pecunia, vel aliâ re consistat: incertæ enim, generalis ac vagæ rei promissio ad constituendum Assassinium non sufficit. Farinacius in Appendice de Immunitate. cap. 8. n. 131. ubi allegat Declarationem Cardinalium, Bonacina Disp. 3. q. 7. de Immunit. punc. 4. n. 18. Lezana y. Immunitas. n. 13. & alii plurimi contra Mascardum Conclus. 123. n. 12. Delbene de Immunitate cap. 12. dub. 21. sect. 1. n. 12. & alios. Ratio est; quia rei in genere, aut incertæ promissio non obligat, nec valet, arg. l. Triticum. q. 4. l. Ita stipulatus ff. de V. O. unde insertur, Assassinum non esse, si conducens, aut mandans sequentibus, aut similibus utatur formulis; Occide mihi hunc, & ego tibi aliquid notabile dabo: vel, dabo tibi pecunias, & comperabo, quod si futurus contentus &c.

134 Porro requiritur aliqui, ut Farinacius Praxi Criminal. de Homicid. q. 123. n. 43. Pignatell. Tom. 9. Consult. 47. n. 32. Ambrosini de Immunitate. c. 7. sub n. 9. & alii, quod pretium certum in quantitate notabili detur, ita ut arbitrio Judicis movere possit ad tam immane scelus patrandum. Verùm quamvis dato, vel promissio pretio levi, in dabo non præsumatur intaita illius homicidium esse commissum,

& consequenter Assassinij Reus quis judicandus non fit, ut bene observant citati DD. tamen si constat, aliquem etiam levi pretio inducendum esse ad occidendum, reverà Assassinij Reus erit, ut bene docet Castro Palao tr. 11. Disp. un. p. 9. n. 34. Delbene lo. cit. n. 10. Haunoldus Tom. 6. tr. 1. n. 222. Ratio est; quia parvitas pretii non minuit, sed augeat delictum ex eo, quod vitam proximi tam levi pretio postponat. Prout ex similibus ratione etiam non datur parvitas materie in Simonia.

Illud certius est, Assassinium non esse, consequenter Immunitate non privari, qui absque pretio sibi dato, vel promisso, sola spe præmi, & animo complacendi alteri aliquem occidit, Farinacius lo. cit. n. 130. Castro Palao lo. cit. n. 34. ad fin. Bajard. ad Clarum §. Assassinium n. 7. Sprall. Decis. 102. d. n. 7. & Communissima aliorum. Ratio est; quia de quidditate Assassinij hodierni est, ratio vel promissio pretii.

Major controversia inter DD. est, an pretio conductus committat Assassinium, si occidat infidelem, Judæum v. g. Turcam, vel Paganum? Negativam tenent plures, ut Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 20. n. 10. Clar. §. Assassinium n. 2. Castro Palao; ubi supra n. 35. & alii; moventur c. 1. de Homicid. 6. ibi: Quisquis quempiam Christianorum, Verùm affirmativa videtur probabilior, quam tenet Farinacius in Appendice de Immunit. cap. 8. n. 120. ubi testatur de communi, Decian. Tract. Crimin. lib. 6. cap. 28. §. 4. n. 20. Pignatell. Tom. 9. Consult. 43. n. 13. citans Bonac. Tom. 2. Disp. 3. q. 7. punc. 6. n. 9. Delbene, & alios. Ratio est: tum quia fidelitas, & infidelitas ad Assassinium se habent profusus per accidens, cum malitia, & quidditas hujus criminis in hoc consistat, quod quis pretio temporalit vitam hominis perdat. Tum quia Bulla Gregoriana universali ter quemvis Assassinium secuto effectu privat Aÿlo sine distinctione si fidelem, aut infidelem. Hinc sicut privatur Aÿlo, qui proditorie occidit infidelem, prout etiam plures Adversarii fatentur; ita etiam dici debet de Assassinio, cum non sit major ratio de illo, quam de isto. Nec obstat cit. c. 1. de Homicidio in 6. quia dictum Capitulum intelligi debet de Assassinio in ordine ad penas ibidem specificatas: non item in ordine ad privationem Immunitatis, utpote de qua ibidem nulla fit mentio. Et planè si illud Capitulum etiam in ordine ad Immunitatem foret attendendum, soli conductus infidelem ad occidendum, non item conducti essent privati Aÿlo, ut legenti textum patet.

Tandem notandum cum Farinacius in Appendice de Immunitate q. 8. n. 237. Pignatell. Tom. 9. Consult. 43. n. 15. Castro Palao lo. cit. n. 36. Ambrosini de Immunitate. cap. 7. n. 10. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 20. n. 9. circa fin. & communem aliorum doceres, quod pretio conductus, ut occidat aliquem, qui est inimicus ipsius conducti, propriè non fit Assassinus, bene verò, si est solus mandans, seu conducentis inimicus, nisi conducentis occisioni esset præfens; quia ajunt, in secundo, non item in primo casu in autum occidit, cum ab inimico quisvis sibi cavere debeat. Verùm hæc ratio (quam non asserunt) non videtur convincens, aliam enim ex ea sequatur, quod si conductus pretio, occidat proprium inimicum, non committat Homicidium proditorium; tamen ex eadem probari non videtur, quod non committat Assassinium, utpote cujus natura non in eo consistit, quod quis occidatur incautus, sed quod pretio conductus occidat, per dicta supra: aded ut etiam Assassinus reverà sit, qui pretio conductus aliquem occidit, etiam non a tergo, nec ex insidiis, sed à facie, consequenter non incautum aggrediatur, & se defendentem occidat. Ea propter a communi recedere omninò liberet, si præcedere

dentes haberem, præsertim cum sapere contingere possit, quod qui suum inimicum aliis non occidisset, nisi pretio conductus fuisset.

138 VII. Crimen exceptum Aÿlo privans, est crimen Hæresis: ita expressè textus Bullæ Cum aliis, nun. 82. allegatæ, ibi: Vel Hæresis Rei. Intellige, si ob ipsius Hæresis crimen, non item ob alia crimina ad Ecclesias confugiant; prout jam diximus supra n. 80. & 81. ubi vide.

139 VIII. Crimen exceptum Aÿlo privans est crimen Læse Majestatis in personam ipsiusmet Principis. Ita verba formalia sæpe citatæ Bullæ Gregorianæ ubi quia requiritur, ut peccetur in personam ipsiusmet Principis.

Quæritur III. Quandoquom quis dicatur committere crimen Læse Majestatis in personam ipsiusmet Principis? Item quom ad propositum nomine Principis veniant? Resp. I. Tunc committit, quando exercetur actio aliqua positiva, in eisdem personæ damnum, vel offensam, v. g. percutiendo, vulnerando, carcerando, occidendo, aut hostiliter insequendo personam Principis; item contra eam machinando, conjurando, hostibus tradendo, aut revelando, ut capiatur, aut tales actiones mandando, contulendo, auxilium & favorem præstando &c. ita cum communi aliorum Bonacina Tom. 2. Disp. 3. q. 7. punc. 7. §. 6. n. 10.

140 Resp. II. Nominè Principis ad propositum veniunt, & intelliguntur illi soli, qui in suo Territorio plenum jus obtinent, & quoad temporalia superiore non agnoscunt. Farinacius in Appendice de Immunit. cap. 14. n. 185. citans Mar. Ital. de Immunit. lib. 1. cap. 5. §. 7. n. 11. & seq. Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 6. Bonacina Tom. 1. Disp. 3. q. 7. punc. 6. §. 6. n. 2. cum communi aliorum. Ratio est; quia cum Bulla Gregoriana ex illa parte, quæ privat certa crimina Aÿlo, est odiosa, consequenter strictè interpretanda, arg. c. Olla. de R. J. in 6. si que non nisi de supremis Principibus in suo Territorio superiorem quoad temporalia non agnoscuntibus intelligenda, Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 6. præsertim cum hi soli in Jure nomine Principum veniant, ut cum communi advertit Engel. h. t. n. 16.

141 Inferitur I. Quod nomine Principis ad propositum ante omnes venit Summus Pontifex, utpote qui nec in temporalibus, nec in spiritualibus superiorem agnoscit. Ita omnes.

142 Inferitur II. Eodem nomine etiam venire Romanum Imperatorem, Reges Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Hungariæ, Angliæ, Portugalliæ, Poloniæ, Croatiæ, Siciiliæ, ac reliquos Reges. Item S. R. I. Electores, & Principes. Item Archiduces, ac Duces Austriæ, Baviaræ, Sabaudiæ, Saxoniz, Parmæ, Modenæ, Capita Reipublicæ Venetæ, Helvetiæ, Januensis &c. Ratio est; quia hi omnes respectivè in suo Territorio superiorem non agnoscunt, ut bene advertunt Mar. Ital. lo. cit. & Bonacina lo. cit. num. 3. ac alii. Idem dic de Marchionibus, Comitibus illis, qui in suo Territorio plenum jus habent, & superiorem non agnoscunt: non item de aliis Principibus, Comitibus, Baronibus &c. superiorem in suo Territorio habentibus, & cognoscuntibus. Doctores citati cum Barboza in c. 6. h. t.

143 Huc reduci, & Principis nomine venire vult etiam Cardinales, & Episcopos Peteg. de Immunitate. cap. 9. n. 5. quem citat, sed non sequitur Diana p. 1. tr. 1. arg. c. Felicit. §. de Panis in 6. ubi offendentes Cardinalem, Rei criminis Læse Majestatis dicuntur. Ratio est; quia Cardinales æquiparantur Regibus, & sunt Principes Ecclesiæ Romanæ; vocanturque Fratres Papæ, & cum eo unum Corpus constituunt, ita ut offendentes aliquem ipsorum ip-

sum quoque Papam offendere, & propterea dicti criminis Læse Majestatis Rei censentur, arg. l. Quisquis. C. ad Leg. Jul. Majest. quod idem cum propositione de Episcopis dicendum videtur.

Verùm Farinacius in Appendice de Immunitate cap. 14. n. 187. docet Cardinales, & Episcopos quæ tales nomine Principis ad propositum non venire, & hoc Bullæ conformius, atque probabilius videtur; quia licet sint, & vocentur Principes Ecclesiæ Romanæ, tamen quia Cardinales non sunt Principes supremi, qui in suo Territorio plenum jus habentes superiorem in temporalibus non agnoscunt, quod requiritur, ad hoc, ut quis sit Reus criminis Læse Majestatis in personam ipsiusmet Principis, juxta sensum Bullæ Gregorianæ, ut patet ex dictis in Conclusionè, & communi Doctorem. Nec obstat c. Felicit. §. de Panis in 6. quia licet ex eo probetur, offendentes Cardinalem esse Reum Læse Majestatis, tamen non probatur, esse ex hoc privatum Aÿlo; quia non quodvis crimen Læse Majestatis privat Aÿlo, sed illud tantum, quod committitur in personam ipsiusmet Principis supremi, superiorem in suo Territorio non habentis. Pariter non obstat, quod cum Papa unum Corpus constituant; quia hoc solum est verum in sensu morali, non autem in physico, uti requiritur juxta dicenda infra n. 148. & seq.

Dicitur autem notatur, quæ tales, quia si Cardinales, aut Episcopi habent etiam Principatus temporales, in quibus plenum jus obtinent, & aliam superiorem non habent, quales sunt verè omnes in Germania, utpote Principes S. R. I. sine dubio nomine Principis veniunt, & offendens talem privatur Aÿlo.

Inferitur III. Nominè Principis ad propositum non venire Uxorem, Fratres, aut Filios Regum, aut supremorum Principum, Farinacius lo. cit. Bonacina lo. cit. n. 3. Diana p. 6. Resolut. 18. dicens, ita docere omnes post Bullam Gregorij XIV. scribentes, Haunoldus Tom. 6. tr. 1. n. 233. eoque teste Omnes. Ratio est, quia in priori numero. Et ex hoc illato confirmatur etiam præcedens; si enim juxta omnes Doctores (ut dicit Diana, & Haunoldus) Filii, & Fratres Regum, ad Principum supremorum, non veniant ad propositum nomine Principis, & offendentes aliquem ipsorum non priventur Aÿlo, eò quod licet reverà sint & dicantur Principes, tamen hic & nunc non sint Principes supremi; etiam Cardinales & Episcopi non veniant ad præfens nomine Principis, nec privabuntur Aÿlo offendens aliquem ipsorum, eò quod & ipsi licet sint & dicantur Principes, tamen non sint supremi in suo Territorio superiorem in temporalibus non habentes.

Inferitur IV. Neque Consiliarios, neque supremos ac intimos Ministros, Præfides, Legatos, Vice-Reges &c. supremi Principis, venire ad præfens nomine Principis; consequenter offendentes aliquem eorum non privari Immunitate Aÿli. Farinacius lo. cit. n. 192. Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 6. & 20. item p. 1. tr. 1. Resolut. 18. ubi dicit, ita docere omnes post Bullam Gregorij XIV. scribentes, & in specie citat Peregrinum de Immunitate. cap. 9. per totum, & Sylvium Barboza in c. Inter alia. 6. h. t. n. 10. Lezana y. Immunitas. n. 15. ac si non omnes, certè Communissima aliorum contra Curtelium, & Gambacurt. Ratio est jam sæpe allegata; quia nempe non sint supremi Principes superiorem in suo Territorio non habentes.

Nec obstat l. Quisquis. §. prin. C. de Lege Jul. Majest. ubi præfati Consiliarii ac Ministri pars corporis Principis vocantur, unumque corpus cum eo constituunt, & propterea offendentes aliquem ex illis, Rei læse Majestatis habentur: ibi: Nam & ipsi pars corporis nostri sunt: ob quod argumentum Hau-

Hannoldus lo. cit. opinionem Curteli, & Gambacurt. probabilem appellat. Nam contra est, quod licet ex dicta Lege probetur, offendentes talem, esse Reos lese Majestatis, non tamen probatur, eos exinde esse, privatos Aſylo, cum non omnes lese Majestatis Rei sint privati hoc jure, sed tantum Rei in personam ipsiusmet Principis, uti jam dictum. Nec quidquam in contrarium probat ratio adducta, quod dicti Ministri sint pars corporis Principis, unumque corpus ac personam cum eo constituere, ac representare censentur; quia hoc tantum verificatur in sensu morali, & non in physico, in quo tamen loquitur & intelligenda venit Bulla Gregoriana, proinde non tantum ex communi sensu DD. & consuetudine Legis optimam interprete c. 8. de Consuetud. patet, sed etiam ex ipsa Bullae dictione ipsiusmet personae Principis aperte liquet; dictio enim ipse, & multo magis ipsiusmet est personalissima, & demonstrativa personae, summeque restrictiva ad personam, & personalitatem, ita ut ad aliam personam referri non possit, ut plurimis aliis citatis docet Barbosa de Diction. Dictione Ipse, ubi ad propositum plures affert Decisiones Rotae.

149 Et certe si in sensu morali sufficeret, quod quis sit, & dicatur pars corporis Principis, unumque cum eo constituere corpus & personam, nemo magis veniret nomine Principis, quam Uxor, & Filii Regum aut Principum, cum teste ipsa Scriptura uxor dicatur una caro cum viro, ibi: Erunt duo in carne una: filius autem reputetur una persona cum patre per vulgaria Juris; & tamen juxta unanimum post Bullam Gregorii XIV. scribentium Uxor, & Filii Principis non veniunt nomine Principis; unde mirandum sane, quod Hannoldus lo. cit. ex illo fundamento, quia Consilarii & Ministri Principis in sensu morali sunt pars corporis Principis, unumque corpus cum eo constituunt, opinionem Gambacurtae probabilem reputet, & tamen cum unanimi aliorum absolute neget, Uxorem & Filios Regum venire nomine Principis; cum tamen in his aequale vel magis idem militet fundamentum, ut ex dictis patet. Nec valet paritas ab eo assumpta de Cardinalibus; quia communis doctrina non tam est, quod offendentes talem, priventur Aſylo, quam quod sint Rei lese Majestatis, quod gratis conceditur, sed negatur, exinde hoc ipso aliquem privari Immunitate, cum non physice, sed moraliter tantum committatur in personam ipsiusmet Papae, quod non sufficit per dicta.

150 Inferitur V. Non committi crimen lese Majestatis exceptum privans Aſylo, si peccatur in statum aut effugiem Principis supremi: vel in statum aut provinciam Principis excitando v. g. rebellionem; dummodo non fiat machinatio contra personam ipsiusmet Principis supremi. Diana p. 6. Resolut. 18. citans unanimum post Bullam Gregorianam scribentium in specie Peregrinum, & Sylvium ubi supra, idem docet Farinacius in Append. de Immunit. cap. 14. nu. 190. Bonacina lo. cit. n. 5. & communis aliorum.

151 Sed quaesit incidenter, an crimen lese Majestatis in personam ipsiusmet Principis committat excessum non tantum subditi ipsius, sed etiam exteri? Resp. Negative quoad exteros, qui ratione originis, aut domicilii subditi non sunt. Farinacius cit. cap. 14. n. 151. Hannoldus ubi supra n. 232. Ambrosia. de Immunit. cap. 6. n. 12. Bonacina cit. Tom. 2. Disp. 3. q. 7. puno. 7. §. 6. n. 12. & communis aliorum; arg. Clem. Pastoralis. §. Rursus non est, de Sentent. & re judic. ubi Pontifex declarat, etiam ex illo capite a Roberto Rege Siciliae commissum non fuisse crimen lese Majestatis in Henricum Imperatorem, quod ei nec ratione originis, nec domicilii

fuerit subjectus. Nec obstat, quod extraneus machinator contra personam Principis fiat ei subditi ratione delicti, vi cuius quibus foritur Forum, Auth. Si qua in provinciis. C. Ubi de Crimine. agi oportet, & c. fin. de Foro competenti. Resp. enim talem per delictum fieri quidem aliquem subditi, sed anteaquidem non fuisse, prout tamen requiritur ad crimen lese Majestatis: unde licet talis puniri possit, ubi deliquit, non tamen privatur Aſylo.

Quaeritur IV. Utrum etiam propter alia crimina in Bulla Gregorii XIV. non expressa, eis tamen aequalia, vel iisdem majora, enormia, & atrocissima quis privetur Jure Aſyli? Resp. Negative Farinacius in Append. de Immunit. cap. 22. num. 353. & 355 Gutierrez Pract. 99. Civil. lib. 3. q. 4. n. 12. & segg. Fagnanus in c. Inter alia. h. t. n. 36. Castro Palao Tr. 11. Disp. un. pun. 10. n. 4. Diana p. 1. t. 1. Resolut. 2. Hannoldus Tom. 6. tr. 1. n. 235. & communissima, ac ferme unanimis aliorum post dictam Bullam scribentium. Idque probatur I. ex receptissima illa Regula, Exceptio unius firmat Regulam in contrarium, l. Quaesitum. 12. §. Idem respondit. 43. ff. de Fund. instrum. l. Cum Praetor. 12. prin. ff. de Judic. & l. 4. §. fin. ff. de Pen. legat. II. Probatur ex alia Regula pariter universalis, & communiter recepta; quod Lex poenalis ob identitatem, vel etiam majoris rationis non sit extendenda, arg. c. Odia. & c. In panis. de R. J. in 6. & l. Factum cuique. §. In poenalis. ff. de R. J. quia poenae casum proprium non excedunt, can. Poenae. dist. 1. de Poenis. III. Probatur ex ipsiſ Bullae verbis, quibus dicitur, quod Papa in materia Immunitatis, cuncta ad unam tantum formam reducere intendat, non attempta paritate, identitate, aut majoritate rationis. IV. Probatur per oppositum Decretum irritans, & clausulam sublatam alteri judicandi facultate. Confirmatur ex Conclusionem num. 88. positam; & textu ibidem ex c. Iniet alia. 6. h. t. allegato.

Inferitur, quod quamvis olim plura crimina de Jure Civili caruerint Aſylo, hodie tamen eodem gaudeant; sed quod in materia Immunitatis non ad Civilem, sed Ecclesiasticam dispositionem attendendum sit, juxta unanimum, & dicenda infra.

Notandum tamen cum Farinacio in Append. de Immunit. cap. 14. n. 185. quod si in casu atrocis, vel atrocissimi criminis, v. g. ob occisionem Cardinalis lese Majestatis in statum, aut Provinciam, parricidium &c. fugiat quis ad loca sacra, possit Episcopus eum bene custodiam tenere, donec per illum, vel Potestatem saecularem Papa informetur, & ab eo extrahendi potestas petatur; potest enim, & etiam subinde solet Papa ob enormia Crimina etiam non excepta extrahendi licentiam dare ad terrorem & exemplum aliorum.

Quaeritur V. An etiam Aſylo gaudeant Rei detentus in carceribus. ut manibus satellitum fugientes, dum docentur ad carceres, vel inde ad supplicium? Resp. Affirmative; dummodo non labore Crimine excepto. Farinacius in Append. de Immunit. cap. 15. Ambrosia. de Immunit. cap. 10. n. 11. Navarrus in Manual. cap. 25. nu. 19. Gutierrez Pract. 99. lib. 3. q. 6. n. 6. cum communi. Fundamentum est; quia nulla apparet ratio, nec Juris dispositio, eos Aſylo privans. Accedit, quod favore ampliandi sint, & extendi, c. Odia. de R. J. in 6. Confirmatur ex repetitis Declarationibus Cardinalium apud Jacob. Pignatell. Tom. 6. Consult. 4. ubi n. 78. sequentem ponit: Fugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet Immunitate, in una Valisoltana. 19. Martii 1627. & n. 107. Qui elapsus e manibus satellitum, confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut seras valvarum gaudet Immunitate; 2. Martii 1604. & 18. Julii 1614. & 20. Decemb. 1616. & n. 91. Con-

Condemnatus ad supplicium mortis, effringens carceres, non autem compedes, gaudet Immunitate, in Romana. 11. Februarii. 1648. Ex qua ultima habes, etiam cum compedibus fugientes ad loca sacra gaudere Aſylo.

152 Extendit Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 13. Conclusionem etiam ad casum, quo Reus una cum satellite per vim intrat in Ecclesiam. Verum huic obstat bina Declaratio Cardinalium apud Jacob. Pignatell. lo. cit. n. 88. ita sonans: Confugiens in Ecclesiam ligatus cum Birruario non gaudet Immunitate, in Florent. 6. Novemb. 1634. Pariter non gaudet Immunitate Reus ex eo, quod per locum ducatur ad supplicium, casu quo alia via e carceribus ad locum supplicii non sit: secus si alia existente via per illum duceretur. Diana lo. cit. Resolut. 30. Peregrinus de Immunit. cap. 5. n. 8. vide de hoc etiam Farinacium lo. cit.

Dices: Juxta novissimam Bullam Benedicti XIII. Ex quo Divina Gra. editam Romae 15. Julii anno 1725. praeter plures alios ibidem adductos excluduntur non solum Homicidae proditori, sed etiam illimitate interficientes proximum suum quicumque, dummodo animo deliberato & praemeditato fiat: ergo plura dicta in his duobus paragraphis non videntur subsistere, utpote quae similibus aſylum concedunt. Respond. disting. consequens, plura in his duobus paragraphis dicta non videntur subsistere insistentibus Bullae Gregorianae, ac illi tempori, quo hic Author scripsit nego. Insistentibus modernae recentissimae Bullae Benedicti XIII. admittit consequentiam. Quoniam vero haec consuetudo pluribus forsitan adhuc ignota existit, eandem annexere consulum duxi.



CONSTITUTIO
SANCTISS. DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PAPAE XIII.

QUA SANCTI MEM. GREGORII PAPAE XIV. Litterae Apostolicae, certa excipientes delicta, & Casus, in quibus inquisiti Laici Ecclesiastica Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & Casus extenduntur, ac ampliatur: nec non Curiae Ecclesiasticae forma, in eorundem inquisitorum extractione a locis immunitis observanda, praescribitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS
EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX quo, divina disponente Clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti sumus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque locorum Immunitatem sanctam, tectam, inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recentiori: diti, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum Venerationis, & reverentiae locum restitui posset, ac in omnibus orbis Catholici Regionibus ita observaretur, quemadmodum praesca illa Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canoniarum Sanctionum norma praescripsit. Dum haec solis in animo revolvebamus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio, a fel. record. GREGORIO PAPA XIV. Praedecessore Nostro edita, quae incipit Cum aliis: qua quidem Constitutione idem GREGORIUS Praedecessor pro Pastoralis Zelo suo hunc ipsum in scopum intendens facultates, & indulget, a quibusdam Romanis Pontificibus ac praesertim a S. PIO V. & Sixto etiam V. Praedecessoribus itidem Nostri, tunc suis concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, & abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunitibus, certorum Criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatiusque fuit: simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a praesertim hominibus pararentur sub certa impunitatis spe quam ex confugio ad loca immunita sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, nec ne, in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certaque demum formam in extractione praedictorum delinquentium a locis immunitibus observandam stabiliti, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in praedicta Constitutione, anno Incarnationis Dominicae 1591. Nono Kal. Junii promulgata, uberius continetur.

§. II. Quoniam vero, post editam hujusmodi Constitutionem, ob varias Doctorum, eam interpretantium, Sententias, & varias itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione proximae multiplices contentiones super veris recte que ejus sensu inter Ecclesiastica, & Saecularia Tribunalia exortae fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac praesertim pie mem. Clemens IX. Clemens

Praefatus Pontificis mentem exprimentem
Gregorius
XIV. sen-
sus in
sua Con-
stitutione
circa reos
ad loca im-
munita
con-

Contrariis
suis dilige-
ntibus ser-
per vera
ipsius Con-
stitutionis